

Catala



*Dominus illuminatio mea.*

# IVRIS ALLEGATIONES

P R O

## REVERENDA PRIORISSA ET COE NOBIO MONIALIVM Sancti Iosephi

CONTRA

## MARIAM RAMON ET Aylla viduam.

**L**UDOVICVS  
Ramon olim I. V.  
D. & de Regio  
Concilio in vlti-  
me volutatis elogio acto 24.  
Martij 1639. hzredes nun-  
cupavit Mariam filiam vni-  
cam sibi & vxori suz comu-  
nem, & Mariam Ramon &

Aylla coniugem suam, scili-  
cet Mariam filiam in legiti-  
ma sibi iure debita, & Mariã  
coniugem in reliquis bonis  
& iuribus vniuersalẽ sub mo-  
do & forma atque verbis in-  
frascriptis.

*En tots los altres empero  
bens meus mobles è immobles,*

A veus,



2  
veus, directo, y abtionis mias ab hoc  
se vulla que sien y a mi me per-  
tañan y pertañien pogan en  
qual seuol manera instituesch  
hereus vniuersals meus a Ma-  
ria Ramon y Aylla filla a mi y  
a dita senyora Maria Ramon  
y de Aylla charissima muller  
mia comuna en la legitima que  
li toca en mos bens, y a dita se-  
nyora Maria Ramon ma muller  
en tot lo demes a sas liberar vo-  
luntats ab conditio que visca  
casta y vidualment y sens ma-  
rit mon nom conseruant ab pa-  
ete tambe que haze de alimen-  
tar a dita ma filla prouehintla  
de menjar y vestir sana y ma-  
lalta y en tot lo demes que cõ-  
uinga y que la haze de collocar  
ò en estat de Religio si voldrà  
entrarhi ò en estat de matri-  
moni. Y si per cas differia dita  
ma muller senyalar dot a dita  
nostra filla la qual ja hagues  
arribat a edat de vint y dos  
anys, desde ara li asseñalo sinch  
millia lliures de comptans per-  
que puga casar ò dos mil lli-  
res perque puga entrar en Re-  
ligio. Si empero dita ma muller  
tindrà cõueniencia en tornar-  
se a casar, instituesch tan sola-  
ment a dita Maria Ramon y de  
Aylla ma filla in solidum a to-  
tas sas liberar voluntats.

Testator diem suum ex-

tremū finije superstitibus pre-  
fatis coniuge & filia. Hæc  
nonnullis annis post patris  
obitum delicijs & illecebris  
seculi renūcians, Spiritu san-  
cto ducta (neq; enim alio spi-  
ritu tam sanctam & arctā vi-  
tam fœmina aliqua vnquam  
transmittendam suscepit) re-  
ligionem ingressa est in mo-  
nasterio Carmelitarū Excal-  
ceatarū Diui Iosephi, vbi ex-  
pleto probationis anno pro-  
fessionem emisit antequā ad  
vigesimalium secundum ætatis  
suz annum perueniret. Ma-  
ter quæ corporali connubio  
filiam seruabat, monacatum  
eius adeo ægre & impatiēter  
tulit vt materna & humana  
viscera carne & sanguine re-  
uelate prorsus illi clauserit,  
opem & auxilium atque fa-  
ciem denegauerit. Sed & ali-  
menta anni nouitiatus, pro-  
uisionem solitā ingressus re-  
ligionis, & dotem hactenus  
filiz soluere recusauit. Hæc  
tandē coacta est Priorissa mo-  
nasterij nomine huius monia-  
lis à matre eiusdem petere,  
institueno in Regio Senatu  
causam, saluo iure super legi-  
tima, in qua hæres scripta il-  
la fuit.

Petitio ista tametsi iustif-  
sima sit ita vt de ea disputan-

do



do in re tam clara lucernā vi-  
deat accendere in meridie vt  
Diogenes ille Cynicus: tamē  
quia nihil est inter mortales  
tam iustum & certum quod  
inter eos non recipiat solici-  
tam quādam disputationem,  
vt ait Imperator in auth. de  
tabellionib. §. si vero indignus  
versic. Proinde, tex. in l.  
3. §. causa ff. ad Carboni. &  
in l. Domitius Labeo de tes-  
tām. & notat Prateius in edi-  
tio. noui iuris lib. 7. cap. 1.  
duo constituam & dissoluam  
circa prælibatam petitionem  
dubia.

Primū an Mariæ filiz ho-  
die antequam ad vigesimum  
secundum ætatis annum de-  
ueniat, dos debeat a die  
emissæ professionis pro ma-  
trimonio spiritali, quod cū  
celesti sponso contraxit.

Secundum an dos prædi-  
cta illi debeat in quantita-  
te duarum mille librarum,  
quam pater testamēto in ca-  
su de quo loquitur, declara-  
uit.

Ad primum dubium res-  
pondeo affirmatiuē tū ex iu-  
ris communis dispositione,  
etiāsi pater maxime noluis-  
set: tum quoque ex patris tes-  
tamentaria dispositione.

Ex iuris quidem cōmunis

46  
dispositione, quia notissimi  
iuris est patrem teneri dota-  
re filiā, atque si recusauerit,  
per Iudicem compellendum  
esse, l. qui liberos, ibi, *cogun-  
tur parentes filias in matrimo-  
nium collocare & dotare*, ff. de  
ritu nupt. siue iure actionis,  
vt sensit glo. in l. obligamur  
§. lege ff. de actio. & obligat.  
quam sententiā communem  
esse testatur Curt. iuni. in au-  
then. res quæ nu. 25. C. com-  
mun. de legat. siue officio Iu-  
dicis, vt tenet Bart. in l. mu-  
lier §. cum proponeretur ff.  
ad Sen. Trebel. quas duas di-  
uersas traditiones disceptat  
Andr. Fachin. cōtrouers. iur.  
lib. 13. cap. 78. Et tanta est  
vis huius paternæ obligatio-  
nis dotandi filiam vt etiam si  
illa diues sit & habeat vnde  
se dotet, teneatur pater illam  
dotare, l. fin. C. de dot. pro-  
missi. & tradit noster Ioseph.  
Ramon conf. 1. circa vltimā  
partem consilij in vers. *Quod  
autem affirmat*, ad differentiā  
matris quæ solum tenetur fi-  
liam dotare in subsidium si  
non habeat vnde se dotet, &  
fuit Regia sententia nostri  
Senatus, quam parum antea  
refert Ramonius, decisum.  
Sed etsi filia nupta fuerit &  
sine dote in matrimoniū re-



4  
cepta sit, adhuc cogitur pater illam dotare ut liberet se ab obligatione legali iuxta glo. in d. l. obligamur s. lege ff. de action. & obligat. Alex. Ripa, Imol. & alij in l. i. ff. solut. matrim. Paul. Castren. conf. 12. lib. 1. Iacob. Cancr. par. 3. vari. cap. 11. nu. 33. & nu. 7. ubi ex decisione Senatus extēdit ut hoc quoque casu possit cogi pater ad dotandum competentem filiam, etiam ultra legitimam, alios refert Constan. Roge. in tractat. de dote quæst. 2. num. 22. Alexan. conf. 169. post num. 2. lib. 7. Sed & hæres patris defuncti eadē obligatione adstringitur ad dotandā eius filiam, ut asserunt Paul. de Castro in l. si fecerit. 4. ff. solut. matrim. & alij relati per Ripam, ubi communem profert, in l. i. num. 21. C. de edend. & per Carol. Ruin. nu. 173. solut. matrim. quam sententiam uti verissimam & certissimam confirmat Didac. Spino in specul. testam. glōf. 11. principal. n. 32. & 33.

Imò iure communi ex nova Iustiniani constitutione, etiam si filia contrahat matrimonium cum indigno, ius habet ad compellēdum patrem

pro dote, Palaci. Rub. in cap. per vestras de donatio. inter vir. & vxor. 3. notab. Alex. in l. i. ff. solut. matrim. nu. 32. & ibidem Ripa nu. 57. dicit veriore, & ita tenendum concludit Dida. Spino d. glo. 11. nu. 35. Et quamvis hæc opinio ut ex eodem Didaci loco liquet, habeat contradictores, est tamen iuris certissimi si nubat digno sine consensu patrum, etiam in Cathalonia existentibus constitutionibus 2. & 3. tit. de spōsal. & matrim. quæ filiabus minoribus 24. annis si sine consensu parentum nubant, inducunt pœnam privationis legitimæ & successionis hæreditatis parentum, ut probat & decisionibus nostri Regij Senatus firmat Cancr. par. 3. cap. 11. nu. 5. & 6. & par. 2. cap. vlt. in nou. editio. num. 36.

Hæc sententia multò magis obtinet in filia ingrediente religionem & nubente celesti spōso, quia in matrimonio carnali licet defectus cōsensus parentum iure canonico nō vitiet matrimonium c. cum locum de sponsal. can. sufficiat 27. q. 2. & ibi DD. & obseruat Ramon conf. 95. n. 2. tamen adhuc viget quedam



dam ratio honestatis quæ exi-  
git ne filia contrahat nuptias  
sine consensu patris, adeo ut  
aliàs dicatur peccare morta-  
liter, & contra bonos mores  
agere, ut notant Gutier. ca-  
non. quæstion. lib. 1. cap. 20.  
num. 8. Menoch. cons. 69.  
num. 31. & de arbitrar. casu  
453. Cancer. d. cap. vlti. nu.  
35. quæ honestatis ratio ces-  
sat in filia ingrediente Reli-  
gionem; hæc enim post duo-  
decimũ ætatis annum incon-  
sultis, & inuitis parentibus  
honestè, & iuxta bonos mores  
potest ad Religionem trãfere  
& habitum Religionis assu-  
mere, & suo tempore profite-  
ri, ita disponit sacrum Con-  
cil. Toletan. 10. cap. vlti. &  
probat tex. in can. puella 20.  
quæst. 2. & in cap. cum virum  
de regular. S. Th. 2. 2. quæst.  
289. artic. 6. & 20. & quæst.  
101. art. 4. ad 4. & quodlib.  
10. art. 1. Pater Suar. tom. 5.  
de censur. disput. 23. sect. 7.  
& tom. 3. de Religion. lib. 5.  
cap. 9. & per tot. Thom. San-  
chez in oper. moral. lib. 4.  
cap. 4. Villalob. tract. 35. dif-  
ficul. 7. Cardi. Bellarmin. id  
ipsum contra hæreticos de-  
fendens tom. 2. lib. 2. de mo-  
nachica. 36. per tot. Sic Deu-  
ter. 33. legitur. *Qui dixit pa-*

3  
tri suo, & matri sue. nescio  
42  
vos: & fratribus suis, ignoro  
illos, hi custodierunt eloquium  
tuum, & pactum tuum serua-  
uerunt, & Matth. 10. *Qui amat  
patrem, vel matrem plus quam  
me, non est me dignus. Et eod.  
cap. Veni separare filiam ad-  
uersus matrem eius.*

Denique præsuppeno va-  
lere argumētum à matrimo-  
nio carnali ad matrimonium  
spirituale quoties non appa-  
ret diuersa ratio, & contrariũ  
non reperitur dispositum, &  
materia est applicabilis, ut  
benè docet Nicol. Eberard. in  
topic. legal. loco à matrim.  
spir. ad carnal. num. 3. circa  
fin. & antea Salicet. in l. fin.  
C. de inoffic. testam. Et ideo  
similiter præmitto patrem ea-  
dem obligatione qua tenetur  
dotare filiam in matrimonio  
carnali, teneri in matrimonio  
spirituali, & illud per profes-  
sionem in aliqua Religione  
contrahi, ut in specie probat  
ipse Eberard. in loco à matri.  
carn. ad spirit. nu. 4. & antea  
Bald. in l. fin. C. de dot. pro-  
missi.

Ex his pro resolutione  
primi dubij propositi infer-  
tur Mariz filiz hodie ante-  
quam ad 22. ætatis annum  
deueniat, dotem deberi à die



emissæ professionis, etiamsi pater nolisset ante præfatam ætatem dotem dari. Cû enim in ætate legitima post annum probationis iuxta Conc. Trident. sess. 25. de regular. cap. 15. religionem professus sit, & à die professionis sustineatur in monasterio onera matrimonij spiritualis, pro quibus de iure dos debetur & datur l. pro oneribus C. de iur. doti. consequens est illatio nostra.

Confirmatur quia dos & legitima parificantur, & valet argumentum de legitima ad dotem, Cald. Perey. in l. si curatorem habens in verb. sine curatore, nu. 96. Fufar. de substitution. q. 296. nu. 68. Decian. conf. 54. num. 11. lib. 1. Barbof. in locis communib. loco 61. num. 3. vbi plures citat; sicut ergo legitima nullum recipit gravamen in tempore post mortem patris subsequutam, sed statim debetur, vt sanxit expressè textus in l. quoniam in prioribus C. de inofficio. testam. & ibi omnes DD. tradunt, præsertim Roderi. Suarez in repetitione ad hæc legem in evidentialibus nu. 1. ita dos nullum recipit gravamen in tempore post contra-

ctas nuptias carnales vel spirituales, quæ ( vt scripsi ex Eberardo) à die emissæ professionis contrahuntur, sed statim debetur, & in simili sic arguit de legitima ad dotem Fufar. d. q. 296. nu. 68.

Præterea ex paterni testamenti dispositione concludo quoque ad primum dubium, Mariæ filiz hodie antequam sit ætatis 22. annorum, dotē deberi à die emissæ professionis. Nam pater in tabulis testamentarijs instituendo conjugem hæredem sibi uniuersalem subiungit hæc verba, *ab parte tambe que haze de alimentar a dita ma filla provehintla de menjar y vestir sana y malalta, y en tot lo demes que conninga, y que la haze de collocar, ò en estat de religio si voldrà entrarhi, ò en estat de matrimoni.* Sanè testator his verbis nullum tempus filiz præfinit ad ingrediendum religionem vel nubendum, ergo neque ad dotem ei conferendam: quia qui vult consequens, vult etiam necessarium antecedens l. ad rem mobilē l. ad legatum ff. de procurator. l. 2. ff. de iurisdic. omni. iudi. Anton. Gom. var. to. 1. cap. 3. num. 23. Surd. decis. 70. nu. 5. & consequens vult qui



qui vult antecedens, l. cui-  
cumq. §. pen. in fin. ff. de in-  
stit. 2. titio. Cardin. Tusc. tom.  
2. lit. C. conclus. 757.

Neque obstant illa testa-  
menti verba quæ post relata  
sequuntur. *Y si per cas diferia  
dita ma muller senyalar dot à  
dita nostra filla, la qual ja ha-  
gues arribat à edat de 22. anys  
desde ara li a senyalo sinch mi-  
lia lliures de comptants, per-  
que pugà casar, ò dos mil lliu-  
res, perque pugà entrar en Re-  
ligio.* Nam hæc verba nō res-  
piciūt debitū dotis; sed dotis  
quantitatem, quam pater cer-  
to casu declarat, non autem  
his verbis denegat filiz dotē  
si ante 22. annum nubat, vel  
Religionem profiteatur, nec  
tale credendum est patrem  
censuisse, quia verba intelli-  
genda sunt ita vt iuri, & na-  
turæ rei de qua agitur, non  
repugnent, nec cui fiat præ-  
iudicium, vel ius illius tolla-  
tur, Decian. conf. 124. num.  
68. lib. 13. Oldr. conf. 268.  
num. 5. & ne quis damnū  
indebitè patiatur, Ancharr.  
conf. 361. in prin. Mari. An-  
tonin. var. resol. lib. 2. resol.  
40. num. 12. & 19. & ne se-  
quatur absurdū, Decia. conf.  
103. num. 36. lib. 2. imò im-  
propriari debent, vt conue-

niant materiæ de qua agitur,  
§. nunc autem admonendis,  
vbi glos. in verb. *Dederint*,  
Inst. quib. alienare licet, vel  
non, latè Barbof. axiomatum  
vsufrequentium in axiomat.  
222. num. 28. & num. 42. &  
num. 9. & debent interpreta-  
ri, ita vt disponens non me-  
reatur à sapientibus repræ-  
hendi, l. Salicius Aristo. ff. de  
legat. præst. Surd. conf. 221.  
num. 30. lib. 3. Crauet. conf.  
3. nu. 23. Canc. par. 1. cap. 1.  
num. 233.

Et cum prædicta testamē-  
ti verba sint inducā in fauo-  
rē filiz ad declarandū quan-  
tatem dotis in renitentiam  
marris, non debēt operari ef-  
fectū in odium filiz, vt ante  
22. annum dote careat, si for-  
tè nubat: quia verba inducā  
ad vnum effectum, non pro-  
ducunt contrarium, l. legata  
inutiliter, ff. adimen. legat.  
Magon. decis. Florent. 138.  
num. 4. Canc. part. 2. cap. 7.  
nu. 69. Ideo dicta verba de-  
bent intelligi in casu appli-  
cabili nempe si filia ante 22.  
annum non nupsisset, seu pro-  
fessa fuisset Religionem, ex  
Barbof. d. axiom. 222. n. 26.  
Cardin. Tusc. tom. 8. litt. V.  
conclus. 98. & conducit ad  
hoc quia sermo generalis res-  
trin-



stringitur ad habilitatem seu ad habilia, l. v. gradatim in princ. ff. de muner. & honor. l. i. in prin. C. de sacros. Eccles. Crauet. conf. 256. nu. 8. Francisc. Molin. de rit. nupti. lib. 3. quæst. 85. nu. 61. Cacer. part. 3. cap. 20. nu. 297. neque possunt ea verba intelligi limitatiue, seu restrictiue, ut ante etatem 22. annorum non debeatur, sed declaratiue & demonstratiue, quia verba in dubio non censentur prolata limitatiue sed declaratiue, Gratian. discep. foren. 937. nu. 28. tom. 5. Fontane. tom. 2. decis. 358. num. 20.

Venio ad secundum dubium propositum, & censeo Mariæ filiz dotem conferendam hodie esse in quantitate duarum mille librarum, quam pater in casu de quo loquitur, declarauit. Nā licet pater eam declarationem fecerit in casu quo mater differret dotē designare, & filia ad etatem 22. annorum peruenerit: tamen nulla potest considerari diuersitatis ratio quare plus eadem nomine dotis detur eadem, quā in casu in quo versamur, quando filia ante prælibatam etatem professa est, & dos est illi tribuenda. At ubi diuersa ratio reddi non

potest, diuersum ius induci non debet, l. 3. §. 1. ff. de iniust. rup. test. l. à Titio, ff. de verb. oblig. inde inquit Surdus de alimen. tit. 1. quæst. 44. quod ratio ampliat dispositionem. Nam ubi est eadem ratio, debet esse eadē iuris dispositio, l. illud, ff. ad l. Aquil. l. illud, C. de sacros. Eccle. quod adeo est verum, ut procedat etiam in odiosis, & sic in correctorijs firmat Portol. in tractat. de confort. & fideicom. legali cap. 6. num. 15. & in pœnali. Perez de Lara de capellan. lib. 1. cap. 5. num. 24. Pater Rebel. de obliga. iusti. par. 1. lib. 1. quæst. 6. sect. 4. nu. 20. Mari. Anto. var. lib. 3. resol. 39. num. 1. Cardos. in praxi iudic. in verb. Lex num. 24. & in verb. Pœna nu. 25. quāto ergo magis in fauorabilibus in quibus versamur fauore Religionis vulgat. l. sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. fun.

Assertio nostra duplici fundamento sulciri potest, primò quia testator in casu quo dotis quantitatem declarat, non est intelligendus loqui taxatiue ad eum casum, sed exemplificatiue, seu gratia exēpli, sic enim verba in dubio interpretanda sunt, non taxatiue, sed exēplificatiue, latè probat noster



5  
49  
noster Fontan. de pact. nupt. claus. 10. glos. vnic. num. 48. Gratian. tom. 5. discep. foren. cap. 937. num. 28. Alexand. Ludouic. decis. 516. num. 8. & exempla non restringunt regulam, l. damni infecti stipulatio, ff. de dam. infec. l. penult. §. vltim. de iur. & fact. ignor. Tiraq. in l. si vnquam, verb. *Libertis*, num. 37. C. de reuoc. donat. Molina de primogen. Hispaniar. lib. 2. cap. 8. num. 4. & non excludunt similia, l. 1. §. quod dicitur, ff. de vi & vi arm. §. haecenus instit. de gradib. cogn. Aymo. conf. 544. num. 25. Rota Romana in collect. à Satil. Pacific. de Saluiam. interd. deci. 279. num. 12. vbi quod non restringunt, sed tamen declarant rem procedere in terminis similibus.

Secundò fundari potest praefata assertio, quia etsi testator declarando dotis quantitatem tacitè de nostro casu nō disposuisset (quod diffitemur) tamen nullam aliā quantitatem in nostro casu arbitrari Iudex potest, quam eam ipsam quam testator declarauit in suo; quia Iudicis arbitrium debet esse prudens, & regulatum iuri, & rationi, & subiectè materiè, vt fuse scrip-

si in tractat. de offic. Iud. & Aduoc. part. 1. quaest. 9. num. 197. Olasc. decis. 71. Beninten. decis. 31. Ioseph. Ludouic. decis. 3. & dec. 24. quod extendit Magoni. decis. Lucen. 22. num. 8. etiamsi Iudex ex statuto haberet cōmissum plenum arbitriū, sic Escobar de ratiocin. cap. 18. nu. 8. & 9. ait quod Iudex in praestando arbitrio suo metas iuris, rationis naturalis, & æquitatis excedere non debet. Age verò quomodo poterit melius regulari arbitrium à prudente Iudice quam arbitrando quod testator in alio simili nec quoquo modo dispari casu declarauit? conducit decisio 526. nostri Fontanella sub nu. 23. & sequent. vbi resoluitur, & deciditur ex mēte, & conclusione Senatus, quod quādo pater vnū ex filijs instituit heredem quem mater elegerit, & casu quo mater non eligat, ipse certum eligit, & nominat, non potest mater alium eligere quam à patre electum & nominatum, si concurrant coniecturæ voluntatis paternæ, quod cum voluit esse heredem; nā electio matri commissa potius ob honorem matris, & ad excitandum ad maternam reuerētiam filios censetur



setur tributa, vt ibidem dicitur num. 25.

His additur quod ex instrumentis exhibitis liquet bona patris esse maximi valoris, & æstimationis, quia fuit productum illorum inventarium, quæ in Ciuitate Barcinone possidebat in quo inter alia sunt descriptæ quinque mille libræ in pecunia numerata, aurum & argentum, & mobilia pretiosa in quantitate magna, & quædam domus ruralis, siue turris cum prædijs pluribus magni redditus, & proventus extra urbem, & ex bonis quæ in Comitatu Ronfionis habebat, insertum est in actis processus quoddam instrumentum arrendamenti molendinorum, quæ locabat pretio quadringentarum & octuaginta librarum singulis annis, iuxta quem computum ista molendina valebant in proprietate plusquàm nouem mille libræ. Quare si dos est arbitranda, & assignanda filiæ secundum dignitatem personarum, & quantitatem bonorum patris, l. quæro, l. cum post, §. gener. de iur. doti. l. si filiæ, de legat. 3. & Menoch. de arbitr. iudic. casu 149. num. 25. & alijs passim DD. certissimi iuris

est dotem duarum mille librarum de qua agimus, legitimum modum non excedere.

Quò ad alimenta petita anni probationis, seu nouitatus, quis dubitat deberi Mariæ filiæ à matre hærede? cum hæres sit instituta mater sub expressa conditione alendi filiam, ibi: *Ab pacte tambe que haze de alimentar à dita maffilla, prouehintla de mējar, beure, y vestir, sana y malalta, y entor lo demes que conuinga.* Cū de iure etiam Naturali filiæ à patre alimenta debeantur, ita vt necare eam dicatur si ei alimenta non præbeat, l. necare 4. ff. de liber. agnos. & alend.

Quoad solitam petitam prouisionem ingressus Religionis consistentem in pannis & alijs, quæ ingressa solet afferre ad monasterium, & alijs quæ consuecit expēdere pro ingressu, quis hæsitabit, quod eidem filiæ à dicta matre sua debeantur? Hæc enim æquiparantur archis, quas in sæculo nuptæ adducunt in domum viri, & istæ dicuntur supplementum, vel appendix dotis, seu pars dotis quamuis ultra dotem debeantur, & de illis vti de dote ipsa iudicandum est, vt probant Roland. à

Valle



Valle in tractat. de lucro do-  
 tis quæst. 50. Vrsil. ad Afflict.  
 decis. 315. num. 2. Gratian.  
 decis. Marchiz 118. ex nu. 7.  
 noster Fontanell. tom. 2. de  
 pact. nuptia. claus. 7. glos. 3.  
 part. 14. num. 32. Sed & pa-  
 ter expresse grauauit matrem

<sup>50</sup>  
 hæredem, vt in his filiz pro-  
 uideret, vt ex relatis verbis  
 testamenti paterni cõstat, ibi:  
*Prouehintla de menjar y vestir  
 sana y malalta, y en tot lo de-  
 mes que convinga. Quare cen-  
 sco, &c.*

Xammar I.V.D.



111111

Velle in tractat. de iure ho-  
 minum. 2o. Velle ad Alibi.  
 de off. 212. num. 2. Gratian.  
 de off. Martialis 118. ex nu. 7.  
 de off. Forstall. tom. 2. de  
 pag. 200. claus. 7. glo. 3.  
 par. 1. num. 3. Sed & pa-  
 ter expellit: gignatque maritum  
 Leo. 8c.

Xammur I.V.D.